

Ad munera postmodum promotus, non quidem precum vi, nec humanis adminiculis adjutus, sed sola meritorum tuorum consideratione, ac spe, Apostolicæ Sedi deservire sic feliciter incepisti, ut brevi temporis spatio laborum tuorum præmia obtineres. Siquidem Quæstoris fidei munere in Insula Melitâ functus, Apostolici Nunciû in Tuscia, statim ad cubiculi pontificii præfecturam a sanctæ memoriæ Innocentio XII. advocatus, illam apud eundem, ac ejusdem successorem Clementem XI., cunctis aulæ proceribus acceptus, summa gloria administrasti; & ita quidem, ut ab ipsa inter amplissimos S. R. E. Cardinales, tota urbe plaudente, evocaveris. Hic demum in supremum Ordinem coaptatus, ut plures fuerunt Confessus, qui sapientiam Tuam in ferenda sententia suspexere; ita & Conventus, qui donis tuis Tibi arctissime devinciebantur. Quis unquam, PRINCEPS HUMANISSIME, a Te discessit invitus, aut tristis? Quis ad Te non accessit justitia simul ac fiducia motus, & impulsus? Uno ore audiebantur omnes, qui tuam prædicabant in audiendo facilitatem, in penetrando acumen, in promovendo fidelitatem, in repellendo constantiam, in remunerando æqualitatem. Itaut vox omnium una foret, Te ad regendos populos natum; ut enim continere illos poteras fortitudine, ac pietate, ita pariter illos valebas æquanimitate, & vigilantia conservare.

Ferrariæ denique pontificia dignitas non tantum Te vocavit, sed pene coegit, ut ad illam capeffendam annueres; a qua tam alienum animum tuum sentiebas, ut ad illam, non nisi supremo Jerarcha adstringente, pervenires. Quot fuerunt modestiæ tuæ certamina, totidem evaserunt obedientiæ triumpho; & dum fugeres quando ad regendum vocaberis, vicisti postmodum quando in regimine apparuisti. Et ita quidem vicisti, ut victæ omnino ad triumphalem currum prostratæ jacerent, & ambitio ab humilitate dejecta, & avaritia a liberalitate subacta, & amor sui a sui contemptu omnino superatus. Inter minora, quæ a Te obtinuit episcopalis illa Cathedra beneficia numerat, se in Archiepiscopalem evasisse; majora enim oportet ut reputet, & jura sua a Te invicte defensa, ut mores sub

tuo